AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE LVNÆ II. IANVAR. M. IOANNE COVSIN DOCTORE MEDICO REG. MODERATORE PRVDENTISSIMO. 550

An postremus hominis dies frigidißimus, siccißimus?

ELEMENTIS simplicibus corporibus, mundi mixtíque partibus, quaternario numero comprehensis quatuor insignes in vitæ decursu mutationes ritè comparantur. Ignem enim calidissimum siccum, leuissimum, ad agendum efficacissimum iuuentus; Aerem humidissimum calidum, nusquam purum pueritia seu adolescentia; Aquam frigidissimam humidam Senectus; Terram siccissimam frigidam Consistens ætas perbellè refert. Ea corpora prima, æqualiter aut inæqualiter mixta, æquale aut inæquale temperamentum constituunt, ex quibus, vt illud vnicum est, ita hoc numero penè infinitum: recti & æquitatis vnica via; erroris & obliquitatis innumeræ: quanquam & illius vnitas ad duo (ad pondus & ad iusticiam vocant) dilatari, & huius immensa varietas ad octo, quatuor simplicia, totidem composita contrahi, constringique possit. Horum primum, præstantissimumque calidum humidum, postremum & pessimum frigidum siccum. Hinc vita eò melior, caloris humorisque substantia cumulatior, quo ortui vicinior, & contrà.

HOMO ad ideam vniuersi effictus inter mixta (in quibus non nudæ qualitates) primas tenet: illius causa sunt cætera mixta: illius solius valetudinem medicus intendit: nullum non experitur temperamentum, at calido & humido gaudet, hoc sibi destinatum putat, eo fœlicius viuit, facilius agit: Illius corpus, remotè ex quatuor rerum primordijs; propius, ex vtriusque parentis, eiusque fæcundi semine, & sanguine menstruo sola copia redundanti; proximè ex partibus constat: quo nomine non sanguinem solis contentum in venis, non humores, aut spiritus corpore fusos, non adipem frigore concretum, non medullam ossibus conclusam, & similia comprehendere licet: ritè in similares & dissimilares, in spermaticas & sanguineas, in communes & priuatas, malè in similares & organicas secantur: quæ quò magis intra temperiei sibi congruentis limites calidum & humidum participant, eò melius nutriuntur, viuunt, operantur.

CÆTERORVM animantium formæ, non temperies, sed substantia, verùm caduca; ex materia prodeunt, seu ex semine, seu ex putredine oriantur, & in materiam per interitum redeūt. Hominis, est à Deo creata, immortalis, separabilis, indiuidua, in toto tota, non tamē æquè vbique operans: Tribus se prodit facultatibus, naturali, vitali, animali; quæ, vt operibus, sic sedibus & instrumentis differunt, atque ex suo quæque fonte vim quandam cum substantia singulis membris impertiuntur. Naturalis cæteras tempore & vsu præcedens in iecore, venarum opera totum corpus alit & irrigat, quinetiam generationi incumbendo, si humor calórque suppetant, corpus auget. Vitalis in Corde, arteriarum ope vitam fouet & tuetur. Animalis, eáque princeps in cerebro, triplex, sedibus minimè distincta, per neruos sensum largitur & motum. Cerebrum, quia sapientiæ sedes, frigidum; quia sensus autor, humidum. Cor, quia fons vitæ, calidissimum. Hepar, quòd nutritionis officina, calidum & humidum. Humido nutrimur, viuimus calido.

IMMORTALE mortali, terreno cœleste, animam corpori spiritus connectit, tenuissimus, calidissimus, æthereus. Si influit, pro triplici parte, à qua procreatur, triplici facultate, cui ancillatur, triplicem naturam, triplicem sortitur appellationem naturalis, vitalis, animalis. Si partibus singulis insitus, pro earum varia substantia, variáque temperie variè discernitur. Is in humore primigenio insidet, calori natiuo substernitur, vtrique tenaciter adhærens, ab vtroque arctissimè constrictus. Humor ille ex puro semine partium similarium substantiæ consertus oculorū aciem effugit; Iste calor blandus, benignus, cœlestis sensum ferit: penes vtrunque nostræ vitæ initium, finis. Vt in fatalis stipitis incolumitate Meleagri salus; in ignis vestalis lumine virginis honos: ita tandiu homo aurâ vescetur ætherea, quandiu & primigenius humor inconsumptus, & salutaris calor inextinctus manebit.

IN SEMINE mistisque ortus nostri primordijs tantum humoris, tantum natiui caloris, quantum aliàs nunquam: quæ ortui proxima ætas, tanta istorum circumfluit abundantia, quanta sequens nulla: non vires eundo, sed imbecillitatem acquirunt. Ita homo, qui primo vitæ die calidissimus & humidissimus fuit, in feruida etiam iuuentute frigidus, in pituitosa Senectute aridus euadit; innato scilicet calido nulla arte reparabili, nullis herbis medicabili in dies marcescente, euanescente. Vnde hoc? Constat æterna lege vt constet æternum nihil. Vt Narcissus sua ipsius imagine oblectatus tabescit, ita misellus calor dum læte viuit, perit; dum iucundo fruitur humidi commercio, cuius interitum non expetit, id tamen depopulatur; eo sublato, quem sui obitum & occasum non intendit, eum tamen nescius & imprudens conficit. Vnde mors vltima rerum linea.

Ergo postremus hominis dies frigidißimus, siccißimus.

Proponebat Lutetiæ IOANNES DOSSIER Constantinas R. S. M. DC. XVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Martin.
M. Michael Seguin.
M. Petrus le Conte.
M. Egidius le Blanc.
M. Guillelmus de Vailly.
M. Ioannes Monnoir.
M. Nicolaus Pietre.
M. Iacobus Cousinot.
M. Petrus Seguin Prof. Reg.